371

de Ao 1630.

270

Johannes Casparus Appelius concionator Aulicq viduæ Gabrielis Bethlen, Principis Transylv. Ad Joh. Appelium inspectorem Stenatt[?] in Comitatu Hanovico: [?]

Eheu, quàm in suspenso omnia nostra hactenus fuerunt relicta! Vacillantem, seductam, et corruptam habuimus Principem in doctrina Christiana, per totum annum præteritum, miro artificio Austriacorum et Pontificiorum in hoc regno circumventam: Deus verò, qui corda Principum manu suâ gerit, sicutq; rivulos aquarum ducit: ex gratiâ et inde[?] erga nos misericordiâ obicem techris posuit: in viam errantem reduxit oviculam, fraudes ipsi aperuit, et pristinam securitatem et frigiditatem novo zelo recompensavit. Deus porrò respiciat vota piorum, opusq; quod inchoavit, perficiat perseverantemq; conservet! Principem nostrum Dn. Gabrielem Bethlen amisimus $\frac{4}{15}$ Novemb: Ann. 1629 in pace obdormientem: et quidem in sede sua regia Albæ juliæ. Exequias celebravimus 25 Januar. Styli novi 1630. per triduum solennissimas, in eodem loco, quibus comitia regni immediate adjuncta fuerunt. Habemus Principem, omnium regnicolarum et ordinum voto et suffragio, sicut et Turcico juramento confirmatam, regno inistam, et nunc ad gubernacula sedentem, unâ cum Illustrissimo Dn. Gubernatore Principis defuncti fratre. Omnia quidem fuerunt disposita in id, ut post mortem Principis conjux serenissima traheretur ad Pontificiam confessionem, occupareturq; regnum ab Austriacis, aut aliis: sed cum jamjam consilia illa partum edere deberent: Cùm graviter ægrotare cœpit serenissima interne et externe: conscientia evigilavit sponte, renunciavit in posterumq, et ipsamet prodit fraudulenta consilia cum hostium pudore. Hinc omnes sese retraxerunt, et huc usq; in pace nos volentes nolentes reliquerunt.

Albæ juliæ 26. Febr: novo stylo 1630.

271

Ornatissimo Christ. Pierio Lud. Crocius S.

Regina tua, vir ornatissime, solum regnum designatur, teq; in hoc citat peremtorie. Nisi tu actutum huc advolaveris, ne crines involabit, teq; mulctabit malè. Curriculo igitur advolabis, in horas à propinquis expectaris. Hæc ex tuorum tuarumq; mente. Tu videris, ut te expedias. Benè vale et salve. Bremæ 8. Cal. Maji 1630.

L. Crocius.

Inscriptio.

Ornatissimo Dn. Andreæ Christ. Pierio SS. Th. Studioso in Academia Leidensi, affini dilecto

Leidam.